

III. REGNUM MORTUORUM.

Nro. 13.

*Secretum litterarum commercium inter vivos
et vita functos.*

Joanni Thomæ — Nobili a Trattner in Elysio.

Ex mundo superiore.

Elysium-Meum, Die Martis .6. Mar. 1810. (Neov. 16. Feb. 1810.)

Continuo viridi in memoria habetur nomen
Trattneri. Vir, qui suis viribus opulentam
conditionem sibi procuravit, promovendæ arti
typographicæ, & ex ea mentis culturæ pro-
mananti tantam operam attulit; qui conti-
nuo alacrem in universum actionem exeruit,
profedo dignus est: qui posteris imitandus
proponatur.

Cum voluptate Dæmonationi tuæ signifi-
co, novamque Ephemeridem attentioni tuæ
substerno, quæ hodie Moguntia, nobilis ty-
pographicæ artis natali, edita, ea ejus an-
nunciationem!

„Apud F. Kupferberg Bibliopolam e re-
gione ædium Curialium prostat: Vogt N.
Europææ Status relationes. Supplementaria
fasciculus pro 1809 40 xr. — argumentum:
1) Status Svecici Constitutio cum animad-
versionibus. 2) Provocatio ad diligentiam
quorumvis publicorum Officialium ad 35 &

36 Sphum Constit. Svec. 3) Tentamen historiae belli Austriaci 1809. 4) Ambo Tractatus pacis seu novum politicum æquilibrium.

Ad Ephemeridem hanc continuandum D. Secret. legationis Consiliarius se obligavit, eamque cum annuntata a se nova sub titulo: Archivum Rhenanum pro historia & litteratura, conjunxit, ejus jam 1 fasciculus etiam prodiit, & haberi potest.

Ex hac Ephemeride singulis mensibus editur fasciculus 6 philiarum, & Elenchus index ei adnectitur; annuus Cursus constat 9 finis.

Juvat excerpta modica, quibus ars typographica pro dignitate describitur, ex eo texere.

Guttenberg, ita scribitur, cujus facultates & fides expensis ferendis non sufficere, quas perfectio artis a se inventæ deposcebant, (1440) hac inventione fortassis potius, & altius sertem gentiam, totiusque humani generis penetravit, quam ullus homo, gens ulla, conatu & alacritate sua unquam. Per eam fit; ut nulla amplius mentium separatio neque per tempus, neve per spatium. Audorem *Odyssæ* post decades Sæculorum adhuc populi Balthici & pacifici audiunt Maris. Fulmina, quæ flumen Atticæ eloquentiæ ex rostris Athenarum vibraverat, sera post sæcula adhuc dum sonant, & fortassis quod in Græcia non poterant, in remotiore peregrina orbis parte grande in generoso accendunt pectore consilium: periclitanti li-

bertati adversus artes viresque Philippi salutem ferendi. — Si Cives alicujus Status vires ad finem obtinendum uniant; singularis hominis foetus mentis commune bonum efficiatur, gentes mutuae culturae progressionem in amplam familiam exurgant, Scientiae non amplius monopolium privilegiatae alicujus hominum Classis constituent, tum soli arti typographicae prodigium illud prospere cedere valet, quod levem cogitationem aeternitati transcribit, variantem sensum continet, atque remotissimo juxta & proximo prodigiosa velocitate communicat. Expediissima scriptio, neque in hoc ambitu, neque in hac celeritate, agendi potis est, qua typographica, & in omni Casu opulentis solum serviret, qui ejus altam mercedem solvendo sunt. —

Novum phaenomenon typographiam & Bibliopolium attinens legere est in gallicis officiosis paginis, en illud! „Sua Majestas die 5. h. m. Decretum in argumento typographiae & Bibliopolii edidit, quod seqv. dispositiones complectitur.

„Denominandus est Generalis Director. jussis Ministri nostri int. negot. obnoxius, in omnibus quae Typographiam Bibliopoliumque attinent, mandatis instructus. 6 Auditores ei operam officiosam praestabunt.

Ex 1. Jan. 1811. numerus typographorum in qualibet provincia definiendus, typographorum urbis Parisinae ad 60 restringendus, restrictio muneris typographorum locum habere nequit, quia ii, qui abrogantur, ab-

lis, qui consistunt, indemnes reddantur. Typographi obtinent litteras publicas (Brevet) & juramento adstringuntur.

Vetitum est quodpiam typis dare, aut edere, quod obligationibus erga Imperantem, aut emolumento Status adversatur; Contra agentes in Jus vocandi, & lege in eos Criminali agendum; porro Ministro neg. int. incumbit ad relationem Gen. Directoris typographum in violatione legis deprehensum publicis litteris privare.

Quivis typographus obligatur librum per Praefectum provinciae signatum & nomine provinciae tenere, cui diem quo, titulumque operis, quod prelo subjicere vult, auctoris quoque, si ei constat, nomen inferendum habet; e vestigio typographus Gen. rei typographicae Directori, praeterea Praefecto Copiam factae in libro suo inscriptionis, declarationemque transmittit: sibi mentem esse opus typis edendi, super qua litteras recognitionales accipit. Praefecti quamlibet id genus declarationem Ministro Politiae communicant. Gen. Directori fas est, communicationem examenque operis ordinandi, typoque, si e re sibi videatur, intercedendi. Gen. Director typographum vulgandum opus judicans alicui Censorum transmittit, quos ad hujus muneris administrationem erga opinionem Gen. Directoris propositionem Ministri neg. int. denominabimus — Minister Politiae, Praefectique provinciarum typum vetant quorumvis Art. 16. adversantium operum. In quo Casu Manuscriptum

primis 24 horis ad Gen. Directorem expeditur.

„Facta a Censore relatione integrum est Gen. Directori auctori operis mutationes & exmittenda indicare, & si reniteretur ipse manum admovere, venditionem operis vetere, formularia confringere, impressas philiras exemplariaque adimenda curare. In Casu ab auctore factæ reclamationis, ea ad Ministrum Int. neg. transmittitur, novoque examini subicitur & s. p.

Quisquis auctor typographus, ante quam typo subiciat, opus editurus aut impressurus examini subicere potest. Ob quod Parisiis in officio Secretariatus Gen. Directoris, in provinciis in Officio Secretariatus Præfecti litteræ recognitionales ei expediuntur.

Si Gen. Director operæ pretium haud censet, opus examinandi, neque ullus minister ejus examen petit, tum Generali Directori transmittit litterarium testimonium super Insertionis typographicæ folio ex registro typographi, tumque typo opus mandari potest; opere, quod typographus editurum se declarabat, examine probato, erigitur verbalis processus a Censore, qui opus illud signavit, in hac Causa, expediturque seu ad auctorem operis, seu typographum a Gen. Directore revisa verbalis Processus copia. Si Gen. Director secundum opinionem Censoris decidit delenda & mutanda quædam esse, de hoc in memorato verbali processu mentio fit, auctorque ei se accommodare obligatur. Ven.

ditio & distributio cujusvis operis, cujus Editor vel auctor id genus verbalem processum exhibere nequit, prorogare, aut vetare potest, licetque in hoc Casu exemplaria editio- nesque adimere, ac fisco addicere. —

Venditio aut Circulatio cujusvis operis, cujus auctor, editor, aut impressor, proces- sum verbalem, de quo hic sermo, produ- cere potest, non alia ratione prorogari, exem- plaria fisco addici & provisorio Interdicto affici possunt, quam per Politicæ ministrum.

„Nullus exteris in oris impressus liber in Gallico vel latino idiomate Gallicæ invehi potest absque telonio quod infra 50 procentua- lem operis valorem esse non potest. — Tabe- la telonialis a Generali Directore typographi conficietur, & in Consilio Status ad relatio- nem Ministri int. negot. in deliberationem assuetur. Praeter dispositionem 34 articuli nullus extra Gallias impressus, aut denuo impressus liber absque venia Gen. Directoris qui Collegium teloniale, quod transeundum habet, indicat, invehi potest. In hunc finem; quavis librorum fascis, ab exteris oris veni- ens, per officialem teloniam signo notandus, & proximo Præfecturæ expediendus. Si Licen- tiæ notam consecuti fuerint, tum quodvis Exemplar aut primus tomus cujusvis exem- plaris signo in loco provisorie Depositionis notabuntur, & proprietario transmittentur. —

Bavaricus urbis Præfectus Augustanus Colonellus a Neumanns die 11. h. obiit, Maligna nervosa febris ex aliquo tempore multos in hac urbe peremit.

Coronæ princeps Bavariz rursus Hildburghusam profectus est; ejus nuptiæ cum Principe Theresia Saxo Hildburghus. extra dubium sunt.

Princeps Stahrenberg, olim Austricus Londini legatus die 12. h. per Francofurtum Vindobonam petiit — die 15. h. per eandem urbem gallicus Cursor Berolinum profectus.

Chartarum publicarum valor in Danica Mensa argentaria ex aliquo tempore increvit singulare hinc omen educere volunt.

Imperatorem Napoleonem D. Letourneur (de la Manche) olim Dir. Collegæ annuam 10,000 Franc. pensionem contulisse ferunt.

Parisiis die 12. Febr. Hodiernus Monitor refert, heri legatum ad hoc tempus Regis V. Siciliæ D. de Monteleone, valedictorium, novumque legatum hujus aulæ D. de Campo Chiaro aditalem apud Imperatorem accessum sub more receptis Ceremoniis habuisse. Eadem paginæ legem jam Cal. Martiis 1809 ab Congressu SS. Americanorum sancitam, promulgant: qua quivis nexus Commercialis inter foederatos Status M. Britanniam, Galliam & ab utroque hoc Statu dependentes Status interdicitur.

Heri vesperi Hollandiæ regina choreas edidit. Princeps Neocom, quem iter facturum plures Ephemerides tulere, adhuc die 11. Parisiis morabatur.

BIOGRAPHIA

Trattner (Joannes Thomas Nobilis a) S. I. Rno. Germanici Eques, Regni Hungariæ

Nobilis, Dominus Domini Ebergäzling, Cæs,
 Regius Typographus & Bibliopola Viadobonæ;
 natus A. 1717 in oppido Jahrmansdorf
 prope Ginsium in Hungaria, parentibus ad-
 modum pauperibus, quibus in tenera ætate
 orbatus est. Anno 1735 Neostadii Austriæ
 tyrocinum typographicum ingressus, quò ab-
 soluto Typographiam Cel. Ghelen Viennæ
 subiit. Candor animi, adplicatio faculta-
 tum mentis, & ingenium amicos ei concilia-
 vit, quorum ope 1748 Typographiam sui
 Juris fecit, exigui valoris nominisque, at suo
 laborioso ingenio paullopost ad tantum
 florem perducere novit, ut successive ad 34
 prela exurgeret, et præterea 5 filialia Typographæa
 Zagrabiea, Oeniponti, Lincii, Tergesti, Pestini & 8
 Bibliopolia, cum 18 Depositoriis librorum non mo-
 do in hæreditariis ditionibus, sed exteris oris Var-
 soviae & Francofurti enixa sit. Est ea quoque ba-
 sis magnificarum amplissimarumque ædium in
 Josephino Suburbio, in quibus Trattnerus quos-
 vis rei typographicæ & Bibliopolii ramos concen-
 travit. Extruxit porro 1767 molam papyraceam &
 1786 alteram in Principe Lichtensteiniano dominio
 Ebergäzling quod seqv. anno emtionis jure acqui-
 sivit. A. 1773 Viadobonam magnificentissimis ædi-
 bus exornavit, ex aula olim Frisingensi & 5 contiguis
 domibus in foro Graben dicto excitatis. Conatibus
 itineribusque ejus typographia Bibliopoliumque Aus-
 triacum Epocham adeptum Seientiis Culturaque na-
 tionali per quam salutarem, & publicæ rei plus
 vice simplici frugiferam. Imperantes quoque Aus-
 triæ merita viri aestimare præmiareque noverunt.
 Diva Theresia aulicum Typ. denominavit, Franc.
 Equitem S. I. R. G. Leop. II. in Hung. nobilium nu-
 merum adoptavit. Obiit 31. Julii 1798 exacto die
 13. Maj. ejusdem an. quinquagesimo typographici
 Principatus sui Jubilari anno.